VINDICIÆ SALOMONIS: N. 1122.

SIVE,

DISPVTATIO BIPARTITA DE LAPSV STATVQVE ÆTERNO REGIS SALOMONIS:

Quâ eius & omnium Sanctorum perseuerantia in fide defenditur.

Authore

CALEBO DALECHAMPIO Sedanensi,
S. Theologiæ Studioso.

Ierem. 8. 4.

An qui cecidit, non resurget? & qui auersus est, non reuertetur?

Zach. 3. 2.

Annon est hic titio ereptus ex igne?

Origen. homil. 1. in Ierem.

Impossibile est quod semel vinificauit Deus, aut ab eo ipso, aut ab alio occidi.

LONDINI,
Excusum per GVLIELMVM IONES,
Impensis *Leonardi Greene* Cantabrigiensis.
1622.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. IOANNI, Episcopo Sarisburiensi, S. P.

Amplissime Præsul,

QVod de peccatorum reprehensione Christum & Paulũ concilians appositissimè dixit Augustinus, *Corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus; corripienda verò secretiùs, quæ peccantur secretiùs*: id beneficiorum remunerationi aptare vt auderem, mouit me Sapiens Romanus, dum remotis arbitris ob publica beneficia gratias agentem ingratum esse pronunciat. Ingrati autem animi vitium, quod omnium vitiorum compendium

Matth. 18. 15. 1 Tim. 5. 20. *De verbis Dom. serm.* 16. c. 7.

Sen. de Benef. l. 2. c. 23.

pendium audit, ſicuti iuſtitia cunctarum virtutum epitome dicitur, tantò diligentiùs fugiendum duxi, quantò præſentius eſt hoc remedium quod idem Philoſophus indicat; Epiſt. 73. *Interdum ſolutio eſt ipſa confeſſio.* Gratam itaque tot commodorum quæ tuis orthodoxiſſimis elaboratiſſimisque lectionibus ac diſputationibus publicè mihi obtigerunt, memoriam, publicâ præſertim hac ſcripti-unculâ teſtatam volui. Nam quum immenſa ſubiret cura, vt quæ Tibi dicarentur, Te digna forent, nihil ſanè occurrit, quod vel ſublimi Dominationis Tuæ faſtigio minùs indignum, vel ſummæ eiuſdem pietati ac doctrinæ magìs acceptum fore arbitrarer, quàm hoc Controuerſiarum, primùm in Venerandâ illâ Synodo Dordrechtanâ, cuius pars magna fuiſti, definitarum, mox à Te in hoc celeberrimo Scientiarum emporio quàm accuratiſſimè tractatarum, ἀποσπασμάτιον.

Tu (decus Epiſcoporum, flos delibate Doctorum) publicis ſemper commodis, non tuis priuatis velificatus es: Tu nihil antiquius vnquam habuiſti, quàm vt Dei gloria, doctrinæ puritas, Eccleſiæ tranquillitas,

&

& huius Academiæ fama sarta tecta conseruaretur: in publici Professoris munere totos tredecim annos, in florentis Collegij præfecturâ ferè sesquilustrum, ita doctè, sedulò, amabiliter, & integrè versatus es; vt Tibi, si cuiquam huius sæculi, competat illa Periclis quadripartita laus; γνῶναι τὰ δέοντα, ἑρμηνεῦσαι τὰ γνωσθέντα, φιλόπολιν εἶναι, καὶ χρημάτων κρείττονα. Thucyd. l. 2.

Verùm quandoquidem in militante Ecclesiâ semper militandum, & etiam veteranis sine missione pugnandum est: Apostolicum illud monitum menti Tuæ infixum obuersari par est; τὸ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐκκακῶμεν. Galat. 6. 9. Quod tum demum à Dominatione Tua præclarissimè seruatum credetur, quũ, quæ ore plantasti, calamo rigaueris, & Petrum imitatus operam dederis, *vt nos subinde post exitum tuum horum mentionem facere possimus.* 2. Pet. 1. 15. Hoc vnum ad plenum Tuorum in Academiam meritorum cumulum requirunt, hoc vnum ardenter expectant, & humiliter expetunt non tantùm Auditores Tui, sed & exteri omnes, ad quos Tuarum insignium dotum fama peruolauit. Quocirca quod ad radiantem illum Angliæ Phosphorum, eundém-

démque Tuorum Prædeceſſorum nominatiſſimum ſcripſit olim Clariſſimus Martyr, idem hîc mihi mutuandum cenſeo : *Cùm tantum ſpei de Te concitaueris ; certò ſcias omnes bonos & doctos iam ſibi polliceri, veritatem Euangelicam Te viuo non eſſe ab hoſtibus impunè laceſſendam.* His ergo pijs precibus vt annuas (ſi Deus dederit,) atque hanc non opellæ meæ fiduciam, ſed debitæ gratitudinis teſſeram, ac publici voti teſtem ſereno vultu vt aſpicias, Te, Clementiſſime Domine, ſupplex oro. Primarius ille animarum noſtrarum Epiſcopus & Paſtor Dominationem Tuam Eccleſiæ ſuæ, Tuæque patriæ ſaluam & incolumem conſeruet quàm diutiſſimè.

Petr. Martyr epiſt. ad Epiſc. Iuellum

Ampliſſimæ Dominationis Tuæ
obſeruantiſſimus

Calebus Dalechampius.

Candido Lectori.

REm non ferendam vidit Rex Salomon, quum vidit seruos insidentes equis, Principes autem ambulantes super terram, tanquam seruos. Rem intolerabilem videmus & nos, quum manifesta Satanæ mancipia, & generis humani opprobria laudibus ad Cœlum efferri, Sanctorumq; albo inscribi videmus: incomparabilem verò Principem, eximium Spiritus sancti amanuensem, apertissimumq; Regis Regum typum, cum reprobis & in infernumdetrusis, δισμῶ ἀθέσμῳ copulari. Cainum & Iudam plurimùm olim laudabant Cainitæ; Dauidem ac Salomonem scurrilibus conuicijs, & insanis sannis proscindebant Ebionitæ. Illi τοὺς πονηροὺς τιμῶντες, isti τοὺς ἀγαθοὺς ἀπαγορεύοντες: vtrique Domino æqualiter abominabiles. Horum hæreticorum posthumi non immeritò censentur hodie, qui teterrimos sicarios ac parricidas, immaniss-

Prouerb. 19. 10 & 30. 21. 22. Eccles. 10. 7.

Epiph. hæres. 38. & 30. Prouerb. 17. 15. Esa. 5. 20. 23.

mos-

mósque patriæ proditores ac perduelles, quibus nulla crux, nullus equuleus aut culeus sufficiebat, velut Antipas quosdam & fideles Christi martyres, encomijs ornare sustinent: Sanctos autem Dei seruos, forteſq; veritatis athletas in Domino mortuos, fœdißimarum calumniarum plaustris onerare, & cum damnatis concenturiare non verecundantur. Nempe vt qui bonam conscientiam retinere nihil pensi habuerunt, tandem etiam intelligentiæ donũ amittunt: ita quibus fidei limites transilire nulla religio est, ijs et in charitatis leges peccare neutiquã graue erit. Vt abyssus abyssum, sic impietas impietatem vocat atq; vorat. Cæterùm Bellarminum, Apostolici (scilicet) Collegij decus, & Ecclesiæ Catholicæ fortem antagonistam, de Salomone tam atrociter sentire ac scribere miror eo magìs, quòd alibi, quasi nihil sibi penitus negotij foret cum illâ bestiâ, quæ Dei Tabernaculum & Cælites conuitijs afficit, blasphemiam impingat eis qui Epiphanij authoritate pressi, ipsum traditionibus non scriptis nimiùm delectatum fuisse responderunt, petulanterq; insectetur eos qui Abrahami, Petri, aliorumq; sub vtroque Testamento Sanctorum næuos & lapsus enotarunt. Quo quidem nomine quoties in Protestantes,

Apoc. 2, 13.

1. Tim. 1. 19.

Baron. tom 9. Anno 800 § 19. & tom. 10. anno 996. § 39.

Apoc. 13. 6.

De verbo Dei l. 4. c. 7.

De Pontif. l. 1. c. 17 & 28. præfat. in lib. de Eccles. triumph. De sacram. bapt. c. 7.

ſtantes, tanquam in Iuliani, Porphyrij, Marcionis, & omnium qui impia Cælitibus bella intulerunt, imitatores, tragicè inuehitur: toties Athaliam de coniuratione, vel Gracchos de ſeditione querentes in theatrum producit, lectoréſque ſuos exclamare cogit,

O tandem maior parcas inſane minori. Horat. Satyr. 3. l. 2.

A tanto non à toto excuſari poſſunt in hac Controuerſiâ Remonſtrantes; vt qui Papiſticam animarum carnificinam, apoſtaſiam, inquam, Sanctorum, Salomonis exemplo potentiſſimè probari contendant, quamuis eum actâ tandem pœnitentiâ ſaluatum fuiſſe negare non audeant: quos, non minùs quàm Pontificios, à quibus heterodoxa multa mutuati ſunt, vel vnicus ille Ioannis locus (1. epiſt. 3. 9.) abundè refellit.

Præter Arminianorum qui totaliter, ſaltem ad tempus, & Bellarminianorum, qui etiam finaliter Salomonem cecidiſſe docent, ſententiam, tres de eiuſdem lapſu ac ſtatu æterno reperiuntur ſententiæ. Prima concedit quidem æternùm periiſſe Salomonem, ſed eum verâ fide verè vnquam præditum fuiſſe pernegat. Secunda ſtatuit idem de hac quæſtione dici poſſe, quod olim de alia dixit Auguſtinus, Cur definiatur cum diſ rimine, Enchir. ad Laurent. c. 59. tom. 3.

quod ignoratur ſine crimine? *Rei nimirum incertæ ac parum neceſſariæ deciſionem temerariam eſſe atque illicitam, alienúmque famulum iudicare nefas, cùm proprio ſtet aut cadat Domino.* Rom. 14. 4. *Poſtrema verò intrepidè aſſerit, Salomonem verâ fide & gratiâ prædituum fuiſſe, nec vnquam totaliter aut finaliter eam amiſiſſe, vt vt in grauiſſima peccata lapſus ſit. Prima ſententia eodem quo Bellarminiana vrgetur incommodo: nempe quòd eâ ſtante, iaceat aut ſaltem vacillet, ac infirmo talo ſtet illa ratio, quâ diuinam Scripturæ authoritatem aſtruere conſueuerunt plerique Theologi; putà Scripturam non ſolùm efficiente, materiâ, formâ, fine & effectu, ſed etiam inſtrumentis ſeu Scriptoribus eius, qui ad vnum omnes Sancti fuerunt, eſſe ſanctiſſimam. Secundæ ſatisfieri poteſt his præclaris ſiue Ambroſij, ſiue Proſperi verbis:* De vocat. Gent. l. 1. c. 7. Quæ Deus occulta eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda: quæ autem manifeſta fecit, non ſunt neganda; ne & in illis illicitè curioſi, & in iſtis damnabiliter inveniamur ingrati. *Tertiam verò, quam Scripturæ & rationi magis conſentaneam eſſe perſuaſum habeo, ſequens Diſputatio propugnabit: ſi non apodicticis & ἀναντιῤῥήτοις, at probabiliſſimis & eiuſmodi*

eiusmodi argumentis, vt hominibus non contentiosis & cedere nescijs, factura sint satis. Quam quidem operam nostram si quis personali argumento malè locatam esse criminetur, & illud Cassianum, vt vulgò * detorquetur, nobis oggerat, Cui bono? sciat is nos Ambrosium & Nazianzenum (vt alios eiusdem notæ Theologos omittam) in hoc stadio studiorum habere præcursores. Alter enim pro Dauide apologias, de Caino & Abele, de Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Iosepho, Elia, Salomone tractatus conscripsit: alter verò de Maccabæis ab Antiocho crudeliter trucidatis, id est, de historia suo ipsius iudicio Apocryphâ, prolixam Orationem composuit; neuter tamen propterea se bonas horas perdidisse putauit, aut ab aliis existimatus est. Deinde cogitet obtrectator, ex personalibus sæpenumerò nasci ac solidè probari quæstiones reales, maximamq; vim * exemplis inesse, si, quod de quibusdam affirmatur, vniuersis rectè tribui possit: vt in multis Theologiæ capitibus, maximè in grauissima de iustificatione Controuersia videre est. Nam vt nos per solam imputatam iustitiam solâ fide apprehensam, homines coram Deo iustificari, nullo tam inuicto argumento quàm Abrahami exemplo demonstra-

* A natiuo illo sensu, quem præfert Cicero, orat. pro Rosc. Amerin. pro Milone, & Philippica 2. item 2. ad Herenn.

* Id in appendice Sacrorum Parall. ex 2. Par. 2. 9. firmiter colligit Iunius, & prolixè docet Rainoldus prælect. 188. et 189. in libros Apocryph.

mus: ita vicissim Aduersarij iustificationem & gratiam, totaliter aut finaliter amissibilem esse probaturi, nullum speciosius argumentum proferunt eo quod à Salomonis exemplo desumptum est. Cui si à nobis responderi nullo modo posset, certè cogeremur illis dare manus. Siquidem admonetur ventura omnis ætas fieri posse quod factum est, et cuiuis potest contingere quod cuiquam potest: vt optimè omnium vidisse videtur, qui non vidit omnia sanctus Bernardus, quum non solùm in admonendi negotio, sed etiam in aliis multis exemplum verbo efficacius esse scribit: vbi sub aliis multis disputationes Theologicas procul dubio comprehendit. Ac licèt Bellarminus acutior & doctior fuerit Baronio, bello tamen & armis chartaceis Papismum minùs promouisse censetur à peritis: non tam ob minorem voluminum molem atque pompam, quàm ob minùs commodum probationum genus atque pondus. Controuersiarum enim Magister vtplurimùm rationibus ac testimoniis: Annalium verò Pater potissimùm exemplis, & veteris Ecclesiæ praxi pro Ecclesia Romana dimicauit. Cùm igitur ex omnibus à Bellarmino prolatis instantiis, vnicum Salomonis exem-

Cypr. Epist. 2. ad Donat. Sen. de tranqu. c. 11. & consol. ad Marciam c. 9. Bern. in Cant. serm. 59.

exemplum aliquam difficultatem habere videatur, nos ei soli expendendo laborem impendimus. Tuum est, Candide Lector, nostrum hunc conatum eodem quo tibi offertur animo excipere, beneuolentiâque tuâ comprobare, te de illorum prosapiâ non esse, qui, quod ipsis dextrâ porrigitur, accipiunt sinistrâ.

DISPVTATIONIS BIPARTITÆ PARS PRIMA, QVÆ EST Αναςκευαςτική.

Ausæ Romanæ iam diu ruinam minitantis alter ille Atlas, & nouus Pontificiorum Aquinas Bellarminus, vt probet aduersus nos veram & iustificantem fidem amitti posse, ac proinde perseuerantiæ certitudinem, quam docemus, cōmentitiam & vmbratilem esse, duodecim Scripturæ locis, & octo exemplis abutitur. De Iustificat. lib. 3. cap. 14.

Testimonia quæ detorquet, hæc sunt: Ezech. 18.26. Luc. 8.13. Ioan. 15.2. Matth. 24.12, 13. | 1.Cor. 9.27. Gal. 5.4. | 1.Tim. 1.19. & 4.1. & 6.10. Heb. 6.4,5,6. & 10.26,27. | 2.Pet. 2.21,22.

Exempla desumit. 1. à malis Angelis. 2. à primis nostris parentibus. 3. à Rege Saule, quem iustum & fide præditum aliquando fuisse contendit ex 1.Sam. 9.2. 4. à Dauide homicidium cum adulterio perpetrante. 5. à Salomone, quem primò iustum

Priora duo exempla vindicat Augustin. de corrept. & gratia, c. 10. 11. & 12. tertium, idem in Psal. 51. & The-

dor. in 1. Sam. quæst. 18. quartum Augustin. & Caluin. in Psal. 51. 13. sextum Bellarm. ipse de Pontif. Rom. l. 4. c. 3. septimum August. de Vnitate Ecclesiæ, c. 23. & contra Cresc. l. 2. c. 15. Octauum tum Aug. de corrept. & gratia, c. 7. tum Bellarm. ipse de Pontif. l. 1. c. 12. ex Chrysost. in Ioan. 6. 69. tum denique locus Ioan. 17. 12. nam particula ἰμὴ malè apud vulgatam redditur per nisi: debet enim verti per sed, neque semper exceptiuam aut diminutiuam, sed sæpe aduersatiuam & oppositiuam vim habet, vt hîc & Rom. 14. 14. Galat. 1. 17.

fuisse probat ex 2. Sam. 7. 14. & 12. 24. posteà verò planè reprobum atque damnatum euasisse, asserit ex Cypriano & Augustino. 6. à Petro Christum cum periurio abnegante. 7. à Simone Mago, quem ex credente & baptizato hæresiarcham factum miserè perijsse dicit. 8. à Iudâ proditore, quem initio bonum fuisse conatur euincere ex Ioan. 17. 12. vbi eum inter datos Christo recenseri pertendit: deinde verò damnatum ostendit ex eodem loco, vbi vocatur *filius perditionis*, item ex Matth. 26. 24.

Habemus igitur, inquit Cardinalis, *octo exempla: quorum tria, Adami, Dauidis, & Petri, demonstrant iustitiam posse & amitti & recuperari; alia quinque, Satanæ, Saulis, Salomonis, Simonis, & Iudæ, indicant posse aliquos verè iustos ita excidere è iustitiâ, vt inter reprobos numerari non sine ratione credantur.*

Tertul. de præscript. aduers. hær. c. 17. & 38. quem etiam consule lib. de resurrect. c. vlt. Non est minor impietas eludere Scripturæ sensum, quàm elidere verba: quandoquidem

Has verbi diuini corruptelas (nam *veritati tantum obstrepit adulter sensus, quantum corruptor stylus*) ineptijs antilogijsque scatere pridem Clarissimi Theologi demonstrarunt, & ad eundem modum quo Christus olim speciosas Satanæ imposturas diffiauit, profligarunt: oppositis videlicet his certissimis, &, si dextrè, ac iuxta germaniores aptioresque Patrum expositiones tractentur, insolu-

non est in verbis Euangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medullâ; non in sermonum folijs, sed in radice rationis: alioquin & Diabolus loquitur de Scripturis, & omnes hæreses. Hieron. in Galat. 1.

bilia

bilia argumenta ſuppeditantibus Scripturæ teſtimonijs.

Pſal.37.24. Aug.Soliloq.c.28.

Cant.8.6,7. Greg.Moral.l.10.c.12.

Eſa.46.3,4. Hieron.in locum.

Ierem.32.40. Aug.de bono perſeu.c.2.

Luc.22.32. Aug.de correpț.& grat.c.8. Theophyl.in locum.

Ioan.17.20. Aug.ibid.c.12.

Rom.5.2. Chryſoſt.in loc.

Rom.8.27. Aug.Soliloq.c.28. & de correpț.& grat.c.7.

Rom.8.34.38. Aug.de correpț.c.7. Hieron.in Gal.1.8.

Rom.11.29. Aug.de bono perſeu.c.14.& de prædeſt.Sanctorum,c.16.

1.Corinth.10.13. Ambroſ.in locum.

2.Corin.1.22. & 5.5. Epheſ.1.14. Chryſoſt.in 2. Cor.hom.3. & hom.de reſurrect.tom.5.

1.Ioan.2.19. Greg.moral.l.34.c.13. Aug.de catechiz.rudibus,c.11.

Apoc.20.6. Aug.de Ciuit.l.20.c.6.

Denique ſingulis Orationis Dominicæ petitionibus perſeuerantiam in fide à fidelibus poſci & impetrari docet Cyprianus,cui aſſentitur Auguſtinus, de Perſeuer.c.2.3.4.

Neque ad veterum modò Patrum,ſed ad recentium etiam Aduerſariorum,ipſorumque adeò Ieſuitarum puriores illationes & interpretamenta prouocamus, lociſque Pſal.1.3.& 37.24. apud Bellarminum, Prouerb.4.18. apud Ianſenium, 1.Pet.1.5. & 1.Ioan.5.4.apud Lorinum,1.Ioan.5.18.apud Salmeronem,

Sixt. Sen. bibliotheca l. 6 annot. 214. reliqui in suis commentariis

meronem, 1. Pet. 2. 6, 7. apud Sixtum Senensem inspectis ac perpensis, celebre illud Mosis fidenter vsurpamus; *Et inimici nostri sint iudices.*

Deut. 32. 31.

Ex locis prænotatis, geminam hanc conclusionē non minùs euidenter quàm necessariò deducimus; veram nempe fidem electorum propriam ac peculiarem esse, nec vnquam penitus excidere posse: quamuis interdum ad tempus in sanctissimis quoque hominibus, haud aliter quàm mens in ebrijs, sopiatur, & velut aliquod eius simulacrum in quibusdam reprobis inchoetur.

Sic in thesibus suis doctissimus Beza.

Prior his insuper testimonijs euincitur, Ioan. 10. 26. Act. 13. 48. Rom. 11. 7. | 1. Thess. 1. 3. 4. & 2. Thes. 2. 13. Tit. 1. 1. vbi vera fides, id est, *obedientia fidei*, quâ electi subijciuntur Deo, *fides electorum* disertè vocatur, & vnà cum charitate, ac sanctificatione per Spiritum ab ipsa electione arcessitur. Ad quos locos haud dubiè alludens Bernardus, fidei sobolem, bona scilicet opera, nuncupat *occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia.*

Rom. 1. 5.

Ad finem libri de lib. arbit.

Posteriorem astruit primò parabola Luc. 8. 15. vbi per bonam terram semen in sese retinentem, frustra obnitentibus Satana & carne (hoc enim insinuat verbum κατέχειν) constantiam in fide veræ fidei perpetuam comitem esse Saluator innuit. Deinde natura nostræ regenerationis, &, qui eius est symbolum, baptismi: quorum neutrum iterari potest, vt eleganter simul & solidè docet Augustinus his verbis: *Duæ sunt natiuitates: vna de terrâ, alia de cœlo: vna de carne, alia de Spiritu: vna de mortalitate, alia de æternitate: vna de masculo & fœmina, alia de Deo & Ecclesia. Sed ipsæ duæ singulæ sunt*

Tractatu 11 in Euangel. Ioannis.

sunt, nec illa potest repeti, nec ista. Rectè intellexit Nicodemus natiuitatem carnis: sic & tu intellige natiuitatem Spiritus. Iam natus sum de Adam, non me potest iterum generare Adam: iam natus sum de Christo, non me potest iterum generare Christus. Quomodo vterus non potest repeti, sic nec baptismus.

His necessariò præmittendis breuiter præmissis, & cursim destrictis, ad accuratiores in hac præsente quæstione Aduersarios propiùs accedimus: quorum alij Salomonem totaliter, ad tempus, fidem amisisse dictitant; alij multò longiùs prouecti, æternùm perijsse pronunciant.

Priores sic argumentantur.

Quicunque multifariâ idololatriâ, alijsque grauissimis peccatis se polluunt, inque ijs aliquandiu sine pœnitentiâ permanent, ij verè fideles & iusti non sunt, & si antè fuerunt; tales esse desierunt. *Remonst. cont. Syn. Dord defension. artic. 5 pag. 263.*

Salomon illud fecit. Ergo.

Maior probatur omnibus illis Scripturæ testimonijs, in quibus docetur idololatras, & qui opera carnis faciunt, non possessuros Regnum Dei. 1. Cor. 6. 9, 10. Galat. 5. 21. Apoc. 21. 8. & 22. 15. Quibus verò denunciatur quòd Regnum Dei non sunt possessuri, illi, quandiu in illo statu sunt, pro verè fidelibus haberi non possunt: nam fideles in eo statu sunt, vt promissio vitæ æternæ ad illos pertineat.

Respondeo; 1. promissio Regni Cœlorum ad fideles pertinet dupliciter: tum respectu hæreditarij iuris ad Regnum, tum ratione præsentis aptitudinis ad ingrediendum Regnũ. Posteriore hoc modo non pertinuit ad Salomonem, quandiu in peccatorum sordibus iacuit: *Nihil enim inquinatum aut* Apoc. 21. 27.

abominationem faciens intrabit nouam Ieruſalem; nec aliud vel fidiculis exprimi poteſt ex locis adductis: priore autem modo pertinere non deſijt. Nam ius noſtrum ad Regnum cœleſte non in actionibus noſtris, ſed in gratuitâ adoptione, atque in noſtrâ cum Chriſto coniunctione, & in Chriſtum inſitione ſitum eſt: quâ manente poteſt quidem extra viam Regni aberrare fidelis, at iure hæreditario excidere non poteſt; quia credere in Chriſtum eſt ad eum venire, & ad eum veniens non eijcitur foras, quin potiùs adoptatur in Filium Dei: Filius autem in domo Patris manet in æternum. Nam *donum adoptionis Deus non reſcindit.*

Ioan. 6. 37. Ioan. 1. 12. Ioan. 8. 35. *Ambroſ. de Iacob. & vita beata, l. 1. c. 6.*

2. In iuſtificatione duo ſunt conſideranda. 1. ſtatus. 2. effectus, ſeu apprehenſio & ſenſus illius. Senſus & apprehenſio iuſtificationis amitti poteſt, & effectus ſuſpendi atrocibus peccatis: ſtatus autem nunquam poteſt tolli. Iuſtificatio enim non denotat aliquam qualitatem aut actionem humanam, ſed actum diuinum; nam *Deus eſt qui iuſtificat*, id eſt, interprete Oecumenio, *adoptione dignatur, ac Regni ſui hæredes facit per remiſſionem peccatorum, quam aſſequimur in Chriſto Ieſu.*

Rom. 3. 29.

3. Fidelis itidem bifariam aliquis dicitur. 1. ratione ſeminis ac radicis. 2. ratione actus & fructificationis. Poſteriore hoc reſpectu Salomonem, quũ in peccatorum ſuorum luto hærebat, iuſtum haberi non potuiſſe non inficiamur: priore autem illo pernegamus. Nam ſicuti ſceptrum non diſcedere dicitur à Iudâ, quamuis miſerandum in modum haud rarò prematur alieno iugo, quia conſeruatæ erant ſceptri reliquiæ in trunco & radicibus Iſai: ſicut arbor

Gen. 49. 10.

Eſa. 11. 1.

bor fructifera, cui comparatur iustus apud Ieremiã, non discedit à faciendo fructum, licèt parum aut nihil proferat dum hyems vrget; sic fideles etiam in grauissima peccata prolapsi, hactenus dici possunt non discedere à Deo, quatenus vnionis principium manet. Vnde Gregorius: *In donis illis sine quibus ad vitam peruenire non potest, Spiritus sanctus in electis omnibus semper manet.* Ieremi. 17.8. Moral. l. 2. c. vlt.

Summa est: renatos in illo interstitio quod est inter atrox aliquod peccatum admissum, & fidei ac pœnitentiæ actum renouatum, indignationem Dei paternam incurrere, damnabilemque reatum contrahere, statum verò adoptionis non amittere. Nam etiam ex ipsius Scholæ decreto, peccatum non tollit gratiam effectivè, sed demeritoriè; nec agit Deus stricto iure cum suis, & secundùm mala eorum merita, sed secundùm paternæ misericordiæ viscera; nec ijs dicit vt Nebucadnetsari, *Regnum transiit à te*; sed vt Salomon Abiathari: *Vir mortis es, sed non afficiam te morte.* Dan. 4. 31. 1. Reg. 2. 26.

Posteriores Salomonis impugnatores, atrox suum de eo iudicium septem argumentis probare conantur, quæ breuiter proponemus ac dissoluemus.

Primum argumentum ducitur à comminatione Dei, qui sempiternum exitium Salomoni per Dauidem denunciauit, si mandata sua derelinqueret: quod cùm fecerit Salomon, non dubium est quin Deus quoque ratas fecerit suas minas. Eius enim veracitas tam in pœnis ex seueritate irrogandis, quàm in præmijs ex benignitate erogandis se suspiciendam præbet: iuxta illud Scripturæ, Num. 23. 19. Ios. 23. 14, 15. Esa. 45. 23. Hinc scitè Gregorius: *Quod pro-* 1. Chron. 28. 9. Dialog. l. 4. c. 44.

promiſit, verum eſt; procul dubio falſum non erit quod minatus eſt.

Reſpondeo; comminationes Dei duúm ſunt generum: quædam enim temporaria ſupplicia ſpectant, quædam æterna: priores plerumque, poſteriores ſemper exprimunt aut ſubintelligunt hanc hypotheſin ſeu conditionem, *niſi reſipueritis*, vt videre eſt Ezech. 33. 15, 16. Luc. 13. 2. quò pertinet hoc vulgatum eiuſdem Gregorij & Aquinatis dictum: *Nouit Deus mutare ſententiam, licèt non norit mutare conſilium*: appoſitèque Chryſoſtomus obſeruat longè aliam eſſe Dei atque Principum terrenorum ſententiam. Principum enim ſententia ſtatim, vbi ſemel dicta eſt, impletur, & mutari vix poteſt: Dei verò ſententia non eſt præceps ad pœnas, nec inexorabilis, ſed potiùs initium ac * medium quoddam ad ſalutem: *Quoties enim eius comminatio periculo liberauit, ſubuerſionis ſententia ſubuerſionem cohibuit, denunciatio mortis vitam peperit?* Cui concinit illud Theodoreti: *Minatur triſtia, ne in nos triſtia inuehat; minatur pœnas, ne pœnas inferat.* Porrò Salomonem reſipuiſſe ſuo loco probabitur.

Moral. l. 16. c. 4. 2. 2. q. 171. art. 6

Homil. 5. ad pop. Antioch.

* *Id ipſum ex Auguſtino docens Bellarm. de grat. & lib. arbit. l. 2. c. 13. reſponſ. ad tertiũ teſtim. imprudens profligat quartam illam rationem quam contra nos adfert de iuſtific. l. 3. c. 14.*

Secundum argumentum ſumitur à grauitate peccatorum eius. Stupenda enim, inquiunt, res eſt, vt Iedidia, hoc eſt, *dilectus Deo*, fieret dilector mulierum: vt Salomon, id eſt, *Pacificus*, horrendum ſuis idololatrijs Deo bellum inferret: vt qui Templum Iehouæ conſtruxerat, idolis ac ſtercoreis dijs excelſa fabricaret, & corporis animique ſui Templum polluueret. Vnde concludunt Deum minimè paſſurum fuiſſe, Salomonem in tantæ impietatis barathrum cadere, tamque fœdæ ingratitudinis labem contrahere,

here, si ad vitam æternam illum elegisset.

Respondeo 1 multò plura deterioraque scelera perpetrasse Manassen, à reformatione patris ad aui sui teterrima flagitia reuersum: de cuius tamen electione satis constat. 2. duas ab Ambrosio & Hieronymo causas assignari, quare Deus in tanta peccata Salomonem prolabi passus sit: prima est, *ne is pro Messiâ ac supra hominem haberetur*; altera, *vt & ruinæ nobis ad cautionem, & pœnitudinis ad salutem exemplũ præberet*: id est, vt ostenderet quàm *nemo in fortitudine* propriâ *robustus sit*, vt doceret nos *seruire Domino in timore, & exultare ei cum tremore*; *vt qui putat se stare, videat ne cadat*; & qui cecidit, caueat ne desperet, dicens,

Ambros. apolog. 1 pro Dan. c. 3. Hieron. epist. 9. ad Salutian. 1. Sam. 2. 9. Psal. 2. 11. 1. Cor. 10. 12.

Peior sum quàm cui possit Deus ipse mederi.

Quod igitur Christus de Lazaro dixit, nos de Salomone quodammodò dicere possumus, *Morbus iste non fuit ad mortem*: quamuis, vt Epaphroditi, fuerit *proximè mortem*. Cecidit vir iustus, sed ei Iehoua suppositit manum ne deiectus iaceret. Secessit ad tempus à Domino seruus, sed vt in perpetuum eum reciperet. Discessit à patre prodigus filius, sed resipiscens reuersus est: contra eum aliquid valuerunt inferorum portæ, sed non præualuerunt. In periculum mortis venit ouis, sed non permisit pastor vt periret. Nam abyssus diuinæ misericordiæ absorbuit abyssum humanæ miseriæ, & *vbi peccatum abundauit, ibi gratia superabundauit*.

Ioan. 11. 4. Philip. 2. 27. Psal. 37. 24. Philem. 15. Luc. 15. Rom. 5. 20.

Tertium argumentum promitur ex genere seu modo vindictæ, quo Deus vltus est peccata Salomonis. Nam quia Salomon partitus est Dei cultum, Deus vicissim Salomonis diuisit Regnum; & vt Salomon

lomon partim Deum verum, partim deos alienos coluit: ita partem Regni Deus dedit filio Salomonis, partem alieno. Cuiusmodi pœnas peccatis proportionatas exigere non solet à suis, sed ab hostibus suis, & perditioni æternæ destinatis; vt Pharaonis, Adonibezechi, Abimelechi, Agagi, Absalomi, Achabi & Iezabelis, serui nequam, a Epulonis, ac b filiæ Herodiadis, quæ Salome vocabatur, ostendunt exempla: quibus omnibus locus ille libri Sapientiæ confirmatur, vbi de reprobis multa differens Author eius subdit; *Per quæ quis peccat, per hæc & puniri.*

a *Idcò rogans diues non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudiuit in terris. Desiderat guttam qui negauerat micam. Aug. de tempore, serm. 227.*

b *Vide Niceph. Eccles. hist. l. 1. c. 20.*

Sap. 11. 17.

Respondeo: illud personati, & ab humano spiritu acti Salomonis epiphonema, non minùs quam Scripturæ loca quæ talionis pœnam interminantur, vt, *Quæ spoliasti, spoliaberis*; *Qui gladio occiderit, gladio peribit, &c.* de quibusuis peccatoribus communiter & in genere, non verò de solis reprobis peculiariter accipiendum est: prout euincit hoc germani, & diuino Spiritu affiati Salomonis pronunciatum, *Omnia* externa eueniunt *consimiliter omnibus: euentus vnus est bono & malo, iusto & iniuste*; notissimumque Dauidis exemplum, cui quâ mensurâ mensus fuerat Vriæ, vicissim mensus est filius Absalom. Vt interim non vrgeam historiam filiorum Aaronis, quorum animas seruatas esse piè ac probabiliter affirmant interpretes, quamuis temporalem vitam per ignem amiserint, sicut per ignem Deum offenderant. *Qui semel æternum iudicium destinauit post sæculi finem, non præcipitat discretionem, quæ est conditio iudicij, ante sæculi finem. Æqualis est interim super omne hominum genus & indulgens, & increpitãs.*

Habac. 2. 8. Apoc 13. 10.

Eccles. 8. 14. & 9. 2.

Tertul. Apolog. c. 41.

Com-

Communia voluit esse & commoda prophanis, & incommoda suis.

Quantum argumentum concinnant ab hypocrisi, quæ quâtoperè Deo sit exosa,& acerbissimis inferorum pœnis & cruciatibus obnoxia, liquet ex verbis Christi, Matth.24.51. Salomonem autem purum putum hypocritam fuisse, nec vnquam sincerè Deo adhæsisse, quantumlibet zelum ab initio præ se tulerit, ostendere laborant ex 1.Reg.11.4. vbi habentur hæc verba: *Non fuit cor eius perfectum coram Iehouâ Deo suo, sicut fuerat cor Dauidis patris sui.*

Respondeo, non probari ex hoc loco Salomonis cor nullo modo fuisse integrum ac sincerum, sed solummodò non fuisse tam integrum & sincerum quàm Dauidis. Nam sanctificatio electis datur inæqualiter in hac vita, nec statim malum quod minùs bonum. Proinde particula *sicut*, non est hîc nota qualitatis aut similitudinis, sed æqualitatis & mensuræ: id est, non qualitatem simpliciter, sed eiusdem qualitatis eundem duntaxat gradum denotat. Nihil enim aliud vult is Scripturæ locus, quàm minùs inculpatè Regnum fuisse administratum à Salomone, quàm à Dauide: qui licèt non omni culpâ vacauerit, nunquam tamen verum Dei cultum passus est in suo Regno corrumpi, neque se vllâ contaminauit idololatriâ: quæ secundùm se considerata tam graue peccatum est, vt *mundi inquinamentum* per antonomasian vocetur à Petro, & *principale crimen generis humani*, *summus sæculi reatus* à Tertulliano.

Non statim pusillum est, si quid maximo minus est. Sen. epist. 100

Vt non est bonitas pessimis esse meliorem (Iacon epist. 79.) ita non est pravitas optimis esse deteriorem.

2.Pet.2.20.

Initio lib. de idololat.

Quintum & Achilleum argumentum petitur ab impœnitentiâ, quam tripliciter probare satagunt.

1. quia Scriptura, quæ peccata Salomonis prolixè describit, de pœnitentiâ eius verbum nullum fecit: quam tamen, non minùs quàm Manassis, alicubi commemorasset, si verè eum pœnituisset. 2. quia fana quæ idolis extruxerat, minimè destruxit, vt videre est 2. Reg. 23. vbi hoc tandem à Iosia, id est, post annos plus minus 360 factũ scribitur: fieri autẽ non posse vt quenquam solidè pœniteat, qui fructus pœnitentiâ dignos non ferat, & ea non immutet aut euertat per aut propter quæ Deum offendit. 3. quia si verè resipuisset Salomon, sciſſio eius Regni locum amplius non habuisset. Nam sublatâ causâ tollitur effectus, remoto flagitio remouetur flagellum, *exempto reatu, eximitur & pœna*: iuxta illud Ieremiæ; *Si pœnituerit eos mali sui, pœnitebit etiam me mali quod constitueram eis inferre*. Realis itaque Regni laceratio, finalis eius impœnitentiæ certum est indicium.

Tertul. de baptismo, c. 5.
Ierem. 18. 8. & 26. 3.

Respondeo triplicem hunc nodum triplici adacto cuneo perrumpi posse. Ad primum quod attinet: primò sicuti non sequitur aliquid non fuisse reprehensum, quòd non legatur reprehensum; vel non fuisse reprehendendum, quòd non fuerit reprehensum (sic enim neque Lothi incestus, neque iniquum illud Dauidis in causa Mephibosethi & Zibæ iudicium, neque Herodis infanticidæ plusquàm barbara crudelitas reprehensionem mererentur:) ita non sequitur aliquem esse damnatum, quòd eius peccatum in Scripturâ memoretur, pœnitentia taceatur, ne idem de Adamo & alijs fateri cogamur. Nam qui de primorum parentum lapsu scripsit Moses, de pœnitentiâ verbum non fecit: eosdem tamen seruatos

Vide Aug. cont. Faust. Manich. l. 22. c. 62.

uatos esse, piè ac probabiliter cum Augustino contra Tatianos credunt omnes omnium sæculorum Orthodoxi. Manassæ verò exemplum non conuincit: nam quia Regno deiectum & captiuum Deus liberauit, & solio restituit, ideò narranda fuit eius resipiscentia: Salomoni autem neutrum horum accidit. Præterea, fateor eius pœnitentiam in historia Regum expressè non haberi, veruntamen aliundè elici potest: mos siquidem est Scripturarum multa nobis cogitanda, & alijs ex locis eruenda consultò præterire, vt hoc pacto diligentiam nostram acuant, & veternum excutiant. Denique, etiamsi Scriptura nihil quicquam de Salomonis resipiscentiâ testaretur, tamen nec etiam eius damnationem exprimit, & argumentum ab authoritate negatiuè in rebus ad salutem nostram non necessarijs ductum infirmum est: non enim omnium in vniuersum verarum aut credibilium rerum, sed earum demum quas ad salutem credere & facere tenemur, Scriptura est ἀκριβὴς ζυγὸς, καὶ γνώμων, καὶ κανὼν, vt ait Chrysostomus: vel, vt alij loquuntur, *Sola Scriptura est fidei mensura, morum censura, ad Cœlum Cynosura.*

Aug epist. 99. ad Enodium, & de peccat. meri. lis & remissione, l. 2. c. 34.

Multa facta sunt, quæ scripta non sunt. Lomb. l. 4. dist. 17. lit. f.

In 2. Cor. homil. 13.

Ad secundum dupliciter responderi potest. Primò, causam cur Salomonis resipiscentia non prædicetur expressè in ijs Scripturæ locis vbi obitus eius memoratur, fuisse, quia idola quæ erexerat non sustulit: siue per vitæ post resipiscentiam breuitatem ipsi non licuerit; siue id amori vxorum indulserit, vt peregrinæ cùm essent, illis patrios deos colere liceret: siue denique ob deficientem cum ætate Regiam authoritatem, & multorum pervicaciam non

potuerit. Multò quippe facilius est populum à Rege in idololatriam pertrahi, quàm ab eodem resipiscente semel furentem populum retrahi: nec quod *Physic. l. 3 c. 2.* de vrbibus Thebis & Athenis dixit Philosophus, id de virtutibus & vitijs verè dici potest, *Eandem esse viam ab istis ad illas, quæ est ab illis ad ista*:

Virgil. Aen. 6. —— *facilis descensus Auerni,*
Sed reuocare gradum, &c.

Sed nec bonus Rex Iosaphat, nec optimus Ezechias hæc Salomonis altaria, nec Gedeon Ephod à se constitutum, vnde superstitio ducta est, sustulerunt: de quorum tamen salute certi sumus. Nimirum Sancti illi viri vel ob populi contumaciam rem aggredi non ausi sunt, vel irrito conatu destiterunt. Secundò, responderi potest, idem de Salomonis excelsis probabiliter dici posse, quod de Manassæ colligere est ex collatione & conciliatione loci 2. Reg. 23. 12. cum 2. Chron. 33. 15. nempe hæc fana quæ Iosias solo æquauit, vocari excelsa Manassæ, non quòd à Manasse resipiscente non fuerint euersa, sed quòd instaurata sint ab alijs sequentibus idololatris, & retinuerint nomen Manassæ, quia ipse primus ea ijs in locis extruxerat.

Iud. 8. 27.

Vel delubra illa Salomonis obseruata erant, vel eorum tantùm ruderа superauerant, vel non fuerunt eadem numero, sed specie. Serar. Iesuita in 1. Reg. 11.

Ad tertium respondeo, illam Ieremiæ & Tertulliani sententiam, quoad æternas quidem & vltrices seu satisfactorias pœnas firmam semper & immotam esse: quoad temporarias autem & paternas castigationes non item. Interdum enim impletur, vt erga Niniuitas & Ezechiam factum scimus; quo videlicet ad pœnitentiam homines inuitentur & alliciantur: quandoque verò locum non habet, vt docent exempla Mosis, Aaronis, Dauidis, quos Deus etiam

etiam post actam pœnitentiam * afflixit, tum vt ad sua verba contremiscere, peccatumque quod ei tantoperè displicet, in posterum vitare discerent, tum vt alios exemplo suo à peccando deterrerent: iuxta illud Apostoli, *Hæc typi nostri fuerunt, vt ne concupiscamus res malas*; item, *Hæc omnia typicè eueniebant eis, scripta verò sunt ad nostri admonitionem.* Huc quoque pertinent hæc Scripturæ & Augustini loca: *En iustum in hac terrâ, rependitur ei; quantò magis improbo & peccatori? Si iustus vix seruatur, impius & peccator vbi comparebit? Si tam seuerus fuit Deus in viridi ligno, quantò seuerior erit in arido? Si naturalibus oleæ ramis non pepercit, quantò minùs oleastro parcet? Si flagellantur filij, quid debent sperare serui nequissimi?* Idem alibi: *Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, quamuis vt in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum: productior est enim pœna quàm culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna: ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem iam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* Et rursus: *Ante remissionem quidem sunt supplicia peccatorum, post remissionem verò sunt certamina & exercitamenta iustorum.*

* *Indicatiue, non vindicatiue, vt loquuntur Scholastici. Et si quando; feriat vt emendet, nunquã tamen vt vindicet.* Bern. in Cant. serm. 16.

1. Cor. 10. 6. 11.

Prouerb. 11. 31.

1. Pet. 4. 18.

Rom. 11.

Aug. in Psal. 93.

Tract. vlt. in Euang. Ioan.

De peccat. meritis & remissione l. 2. c. 34.

Sextum argumentum nititur authoritate duorum insignium Patrum, Augustini videlicet & Prosperi: quorum alter scribit in hunc modum; *Iam de Salomone quid dicam? quem vehementer arguit sancta Scriptura, atque condemnat, nihilq; de pœnitentia eius, vel in eum indulgentiâ Dei omnino commemorat:* Et

Cont. Faust. Manichæum, l. 22. c. 88.

mox:

In Psal. 126. mox: *In Salomone apparet mira excellentia, & mira subuersio.* Et alibi: *Ipse Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus est à Deo: & vsque adeò laqueus illi fuit illa cupiditas, vt à mulieribus etiam idolis sacrificare cogeretur, sicut de illo Scriptura testis est. Sed si illo cadente, quæ per illum dicta sunt, deferentur, inuicaretur quia ipse dixerat, non quia per illum dicta erant. Optimè igitur etiam hoc egit misericordia Dei & Spiritus eius, vt quicquid boni per Salomonem dictum est, Deo tribueretur: peccata autem hominis homini. Quid mirum quod in populo Dei cecidit Salomon? In Paradiso non cecidit Adam? non cecidit Angelus de cœlo, & Diabolus factus est?* Idem tertio in loco Salomonis mentione factâ subijcit: *Hic bonis initijs malos exitus habuit.* Alter verò sic habet: *Quæ de Salomone dicta, vel ab eo prophetice gesta sunt, rectè Christo Domino consignantur. Cæterùm ipse, vt suprà dictum est, elatus, in senio fornicatus mente & corpore, Domino ipsum deserente, malè obijt: metuendum exemplum posteris relinquens, ne felicitate huius vitæ turbati Christum deserant, qui est suorum æterna felicitas.*

De Ciuit. Dei, l. 17. c. 20. Prosper. lib. de promission. & prædiction. Dei, parte 2. c. 27.

Respondeo; si quidam Patres in hanc seueriorem sententiam concesserunt, alij non pauci nec de plebe Patres in contrariam pedibus abierunt, vt posteà patebit. Interim primo Augustini testimonio satisfieri potest ex eiusdem libri capite sexagesimo secundo proximè à nobis annotato. Ad reliqua Lorinus, Delrius, & Pineda, in veterum monumentis non hospites aut peregrini Iesuitæ, respondent. « 1. acutissimum Augustinum rem ancipitem & de « quâ sibi non liquebat, ancipiti etiam exemplo incer- « tam & obscuram esse demonstrasse. 2. per reproba-

tionem

tionem intelligi posse diuisionem Regni, hoc est, reprobationem temporariam, non æternam. 3. adolescentiæ exitum fuisse senectutem illam turpissimam: sed de senectutis ac vitæ totius exitu tacuisse Augustinum. In quâ solutione qui non acquiescunt, accipiant expeditas illas Bellarmini ad eiusdē Patris testimonia responsiones: *Dico Augustinum & cæteros Patres non proponere sententiam suam, vt necessariò sequendam, sed solùm quatenus ratio suadet.* Rb. *spondeo Augustinum non exposuisse hunc * locum in commentario aliquo proprio, sicut fecerunt alij, quos non mirum est si anteponimus ei tractanti hæc verba in alienis locis.* Item, *Respondeo Augustinum non expendisse hunc * locum diligenter.* Quin vt Maldonatus alicubi scribit, *Persuasum se habere D. Augustinum, si nostrâ fuisset ætate, longè aliter sensurum fuisse, hominem omni hæreticorum generi inimicissimum, cùm videret ad eundem ferè modum Caluinistas & hunc * & illum D. Pauli locum interpretari:* ita dicere possumus, & quidem multò veracius, malleum illum hæreticorum longè aliter de Salomone scripturum fuisse, si præuidisset hyperaspistas aliquot Papistas authoritate suâ abusuros ad orthodoxam de perseuerantiâ Sanctorum doctrinam oppugnandam: quā ipsemet ex professo, neruosissimè, clarissimè, constātissimèq; contra Pelagianos & Semipelagianos, Papistarū progenitores asseruit. Nam & disertè scribit, *Ipse eos facis perseuerare in bono, qui facit bones. Sicut operatur vt accedamus, sic operatur ne discedamus. Fides fundit orationē, fusa oratio fidei impetrat firmitatē.* Et plurimis Scripturæ locis, maximè verò aureâ illâ & indissolubili catenâ, seu gradatione Apostolicâ fretus

De verbo Dei, l. 3. c. 10.

De Euchar. l. 1. c. 14.

* 1. Cor. 10. 3.

De Euchar. l. 1. c. 11. ad finem.

* Matth 26. 29.

Maldon. commen. in Ioan. 6. 49.

* Ioan. 6. 49.

1. Cor. 10. 3.

De corrept. et grat. c 12.

De bono perseuer. c. 7.

De verbis Dom. serm. 36.

De corrept. & grat. c. 7. de Prædestin 5. c. 17. de bono perseu. c. 14 Epist. 50. extrem. De doct. Christ. l. 3. c. 32.

iustificantem fidem & remissionem peccatorum sortis electis ac glorificandis apertè vindicat, & affirmatè pronunciat, *non viuificari à Spiritu sancto nisi corpus Christi; non esse autem reuerâ corpus Christi, quod non erit cum eo in æternum:* adeò vt Augustini patrocinio Sanctorum apostasiam stabilitum ire, nihil aliud sit quàm accitis Græcorum auxilijs Troiã defendere velle, imò & Donatistas imitari, qui Ecclesiæ nomine armabantur, & contra Ecclesiam dimicabant. De Prospero idem prorsus iudicium ferendum: is enim, fatente Bellarmino, *se Augustini diligentissimum discipulum, ardentissimum sectatorem, & acerrimum defensorem demonstrauit*; nec ouum ouo similius est, quàm eius doctrina Augustinianæ. Qui vtramuis rectè norit, ambas nouerit.

De gratia & lib arbit. l. 2. c. 5. & l. 6. c. 11. & de Script. Ecclesiasticis ad annum 445.

Lyr. in 2. Sam. 7. & in Prouer. 30. Tost. in 2. Sam. 7. quæst. 13. Veg. in Conc. Trid l. 12. c. 2. Perer. in Rom. 8. disput. 27. Plutar. in apophteg. Principum.

Vltimi argumenti præsidium ponitur in suffragijs veterum & neotericorum Ecclesiæ Romanæ Doctorum, Lyrani, Tostati, Vegæ, Bellarmini, Pererij.

Respondeo; sicut olim Thraciæ Rex Cotys eum qui pantherâ ipsum donauerat, leone remuneratus est, ἀυτῷ τῷ, μέτρῳ, ϗ λωΐον: ita huius obiectionis telum consimili scuto excipere ac retundere, Pontificioq; Pontificijs, Iesuitas Iesuitis opponere nobis in promptu est.

Lucan. initio.

——pares aquilas, & pila minantia pilis:
ἥλῳ, τον᾽ ἥλον, πατ᾽άλῳ, τον᾽ πάτ᾽αλον.

DISPV-

DISPVTATIONIS BIPARTITÆ PARS ALTERA, QVÆ EST κατασκευαστική.

DE Marco Cœlio meliùs obijciente crimina, quàm defendente, dixit Marcus Tullius, *Habere eum bonam dextram, malam sinistram;* huc alludens, quòd dextra gladio hostes ferit, sinistra clypeo nos defendit. Huius Cœlij non dissimiles sunt, qui in aliorum placitis luxandis atque refigendis non exiguam, in suis ipsorum figendis ac statuminandis nullam operam ponere sustinent: quibus ne accenseamur, &, vt olim Augustus, aliena feliciùs euertere, quàm nostra tueri dicamur, non segniores erimus in clementiore nostrâ sententiâ confirmandâ, quàm in aliorum rigidiore fuimus infirmandâ. *Quintil. instit. orat. l. 6. c. 4.*

Argumenta igitur quibus Salomonis æternam salutem astruimus, triplicem funiculum haud facilè rumpendum constituunt: sumuntur enim 1 à probabilissimis Scripturæ testimonijs, 2 à ratione Scripturæ consonâ, 3 à doctissimorum virorum cuiusuis propemodum ordinis, temporis, ac loci iudicijs. Nam apud Sapientes non leue momentum habet consensus hominum, idiomate, patriâ, sæculo, ac religione differentium. *Multum*, inquit Seneca, *dare solemus præsumptioni omnium hominum. Apud nos ar-* *Epist. 117.*

gumentum veritatis est, aliquid omnibus videri.

Testimonia Scripturæ, quorum alia præcedunt, alia sequuntur lapsum Salomonis, septem argumenta nobis subministrant.

Primum extruitur ex 2.Sam.7.14. & 1.Chron. 17.13. vbi de Salomone sic loquitur Deus: *Ero illi Pater, & ipse erit mihi filius: qui cùm perversè egerit, corripiam eum virgâ hominum, & plagis humanis; at misericordia mea non amouebitur ab eo, quemadmodum amoui à Saule.* Vbi videmus 1 Salomoni promitti peccatorum veniam & resipiscentiæ gratiam, ita tamen vt non impunè ferat, sed paternis virgis castigetur: quæ paterna castigatio, de qua Ieremias & Apostolus, non est vltio, sed medicina, media inter nimiam indulgentiam, peccandi illecebram, & implacabilem seueritatem in æternum exitium præcipitantem. Nam humanas plagas diuinis, id est, inexsuperabilibus opponi perspicuum est. 2. antithesin instituit inter Saulem & Salomonem: vnde tam certi esse possumus de istius æterna salute, quàm sumus de illius damnatione. Porrò hanc misericordiam, quam Salomoni Deus pollicetur, accipiendam esse de spirituali & æternâ, non de temporali & externâ, seu continuatione Regni, & posteris eius in Regio solio conseruandis, probatur trifariam. 1. quia ipsa vox misericordiæ communi hominum acceptione, & Scripturarum quoque phrasi benignius aliquid sonare, iudicioque seu condemnationi æternæ opponi solet. 2. quia non modò Cyprianus & Augustinus, sed & ipsemet Spiritus sanctus diuinam hanc promissionem applicat & extendit ad omnes electos. Denique probatur ab euentu, * certissimo va-

Ierem.46.28. Heb.12.7,8,9.

Iunius in loc.

Cyp.serm.de lapsis. Aug.de ciuit. l.17.c.9.

Psal.89.33.34. * Ierem.28.9.

vaticiniorum interprete. Constat enim temporalibus calamitatibus afflictum fuisse Salomonem. Siquidem adhuc viuens serui defectionem expertus est, de retinendo Regno sollicitus esse cœpit, multos aduersarios à Deo excitatos habuit, & à filio suo decem tribus vidit auferendas. Qua quidem in parte typum gessisse videtur militantis in terris, & à Domino peregrinantis Ecclesiæ: quam interdum pace & otio nimiùm lasciuientem castigat Deus, sed misericordiam suam non aufert ab illa; vt sit aliquando cur agnoscat *bonum esse sibi quòd humiliata sit, & perturam se fuisse, nisi perijsset. Quum enim punimur, à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur. Hîc inflicta pœna liberat à pœna quæ illic est. Hîc vrit, hîc secat, vt in æternum parcat.* Psl. 119. 71. *Perijssemus, nisi perijssemus*, inquit Themistocles apud Plutar. in apoph. Principum 1. Cor. 11. 32. ὁ ἱερεὺς δὲ κλαυσεται ἐξαιρετέος τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν ἐστίν. Chrysost. hom. 3. de Lazaro.

Secundũ argumentũ arcessitur ex 2. Sã. 12. 24, 25. Neh. 13. 26. & 1. Reg. 3. 3. vbi tria quæ ad præsens institutũ faciunt, sunt obseruanda. Primùm enim Deus dicitur *amasse Salomonem*. Amor autem ille non fuit communis, *secundùm quem diligit omnem creaturam*; sed specialis, *secundùm quem trahit creaturam rationalem supra conditionem naturæ ad participationem diuini boni*. Nam *dilectio Dei est* a *efficax, & id* b *vult nobis quod nobis est optimum*. c *Amare est, cùm benè velle ei quem ames, tum pro virili benefacere*. Secundò, Deus dicitur in certissimam amoris sui tesseram nomen *Iedidiæ* per Nathanem Prophetam eidem imposuisse. *Nomina autem diuino iussu rebus indita, sicuti vim ac proprietatem earum verissimè declarant; ita & firmissimorum argumentorum materiam suppeditant*. Tertiò, Salomon legitur *redamasse Deum*. Noster enim amor erga Deum, diuini erga nos amoris Sap. 11. 25. Thom. 1. 2. q. 110. art. 1. a Bellar. de grat. et lib. arbit. l. 1. c. 4. b Ibidem c. 6. c Zanch. de perseuerantia S. c. 2. Aristot. Rhetor. l. 2. c. 4. Tilen. cont. Bellarm. de Pontif. Rom. l. 2. c. vlt. nota 1.

effectus est atque τεκμήριον. 1. Ioan. 4. 19. Quemadmodum igitur ex Dei dilectione Apostolus infert finalem fidelium de quibusuis tentationibus victoriam, concluditque Iacobum fuisse electum ex eo quòd Deus dicitur eum dilexisse: sic etiam colligere possumus Salomonem fuisse electum ex eo quòd à Domino dilectus appellatur. Adde quòd vt Iehoua sempiterno amore prosequitur suos, & ad finem vsque diligit quotquot diligit, nec eos è manu sua, ne à propria quidem eorum voluntate, quippe maior eâ, eripi sinit: ita etiam coronam vitæ, & incomprehensibilia bona promisit, ac præparauit ijs à quibus diligitur.

Rom. 8. 38.
Rom. 9. 13.
Ierem. 31. 3.
Ioan. 13. 1.
Ioan. 10. 29.
Volenti saluum facere nullum hominis resistit arbitrium, qui etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, quum vult, facit. Aug. de corrept. et grat. c. 14.
Iacob. 1. 12.
1. Cor. 2. 9.
Epist. ad Ruffin.
Intimus amicus amat omni tempore. Prou. 17. 17
Mal. 3. 6.
1. Sam. 15. 29.
Rom. 11. 29.
Esa. 55. 8.
Esa. 49. 15.
Præceptum Biantis apud Aristot. Rhet. l. 2. c. 13 & Cic. de amicit.
Esa. 46. 4.
Act. 11. 18.
Philip. 1. 6.

Si veram hominum amicitiam deficere non posse dicit Hieronymus; quantò magìs de diuino amore hoc dicere æquum est? Nam qui Deus est, & non mutatur, qui homo non est vt ipsum pœniteat, cuius dona sunt ἀμεταμέλητα, cuius cogitationes & viæ sunt nostris dissimiles, cuius amor est vel matrum in prolem amore longè constantior; is nec *amat tanquam osurus*, nec *odit tanquam amaturus*, vt solent ἀστήρικτοι homines, arundines à vento agitatæ. Sed quos inde ab vtero gestauit, eos vsque ad decrepitam senectutem portat; & quibus resipiscentiam dedit, ijs dedit resipiscentiam ad vitam; & quod in suis bonum opus incepit, ad finem vsque perducit ac perficit.

Tertium argumentum sumitur ex 1. Reg. 11. 4. nam non totaliter Salomonem excidisse à fide, vt infidelis & hostis Dei esset, hæc verba limitatione quadam & extenuatione lapsus illius indicare videntur,

dentur, *Tempore senectutis Salomonis vxores inclinauerunt cor eius post deos alienos.* Vt verisimile sit eum in gratiam vxorum cultum externum idolis ad tempus obtulisse, non tamen corde penitus à Deo recessisse. Quoniam si sibi persuasisset idola, quibus phana extruxit, quippiam numinis in se habere, aut veros esse Deos, ea in Templum Hierosolymitanum intulisset. Id autem non fecit: sed cùm probè nosset idola * nihil esse, tamen blanditijs muliercularum victus, illis varia idololatriæ genera cõcessit. Quamobrem eodem ferè modo peccasse statuitur à doctis, quo Adamus & Aaron: quorum ille fructum interdictum comedit, non quòd propterea existimaret se fore Dei similẽ, vel sapientiorem euasurum quàm à Deo conditus fuerat; sed ne vxorem offenderet. Metuebat enim ne passa repulsam ab eo se alienaret. Iste autem cùm optimè sciret in conflato vitulo nihil fuisse numinis, tamen idolum finxit ac festum illius promulgauit: veritus ne si plebis furori non cederet, ab eadem ista multorum capitum belluâ lapidibus obrueretur.

* 1. Cor 8. 4. *Nihil comparatiuè sumptum, non negatiuè: quoad efficacitatem, non quoad repræsentationem. Rainoldus ex August. & Chrys. Vide August. de Ciuit. Dei, l. 14. c. 11. & de Genesi ad lit. l. 11. c. 42. Tostat. & Pet. Martyr. in 1. Reg. 11.*

Quartum argumentum suppeditat Salomonis Ecclesiastes: quem ab eo scriptum fuisse postquam ob sua scelera ab Ecclesia exulans, in eiusdem gremium ac sinum per pœnitentiam se recepisset, colligitur ex eiusdem libri tum inscriptione tum narratione. Inscriptione: nam Ecclesiastes, seu anima, id est, persona concionans, siue sermonem in Ecclesia habens, vt pœnitentes faciunt, dicitur Salomon, qui venit in Ecclesiam à quâ abfuerat, eamque ingreditur. De priore ingressu non posse accipi palàm est (tunc enim fuit primùm aggregatus Ecclesiæ Iudaicæ

Iunius animadvers. in Bellar. de verbo Dei, l. 1. c. 5.

daicæ quum circumcisus est, sicut & nunc infantes cooptantur in corpus Ecclesiæ Christianæ quando baptizantur:) ergo de regressu. Narratione: nam totus liber, ac præsertim posterior pars capitis septimi, perspicuè ostendit tempus quo hæc à Salomone scripta sunt; nempe tũ demũ quum à Deo reprehensus esset, & resipisceret, ætate iam prouectâ, & comparatâ rerum tam multarum, quæ hoc libro continentur longâ experientiâ.

Vide Hieron. in c. 2. et 7. Eccles.

Tertul. contra Marcionem, l. 1. c. 10.

Huic expeditissimæ probationi defensio quoque à nobis necessaria est, aduersus obstrepitacula diuersæ partis. Nam quadruplicem impetum facit in hoc palmarium argumentum Bellarminus, & quatuor inualidis rationibus Ecclesiasten à Salomone nondum amore mulierum corrupto conscriptum fuisse contendit. Primùm enim, inquit, 1. Reg. 4. & 11. & Eccles. cap. 47. cùm ordine recensentur acta Salomonis, priùs de libris eius, quàm de amoribus narratur. Deinde dicit Ecclesiastes (cap. 2. v. 9.) sapientiam suam, quam videlicet diuino munere quondã acceperat, ad eam vsque ætatem secum permansisse. Non est autem verisimile cœlestis sapientiæ lumen cum ea cordis deprauatione simul habitare potuisse, de qua loquitur Scriptura 3. Reg. 11. *Cùmq; iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres.* Tertiò, cap. 2. huius libri Salomon enumerat omnes suas voluptates, & illarum instrumenta: tot verò concubinarum & vxorum, præ quibus omnes alias delicias facilè contemnebat, ne meminit quidẽ. Amare igitur nondum cœperat, quo tempore librum hunc conficiebat. Denique, non est credibile tam graues, tam acres, tam masculas sententias proficisci potuisse

Bellar. de verbo Dei, l. 1. c. 5.

tuisse ab animo tam molli & effœminato, qualis erat Salomonis, cùm is septingentarum coniugum & trecentarum pellicum amoribus inseruiret.

Respondeo; rationes tam euanidæ, nec seorsim singulæ, nec coniunctim vniuersæ conclusionem Aduersarij stabiliunt, aut nostram conuellunt.

Non prima: nam ordo materiæ non est necessariò connexus cum ordine temporis, nec semper sequitur id priùs factum esse quicquid priùs narratur. Frequentes enim hysterologiæ, prolepses, anticipationes & recapitulationes in Scriptura reperiuntur, vt prolatis exemplis ipsemet Bellarminus alibi suis aduersarijs respondet & obijcit, & ab Augustino id ipsum doceri fatetur: apud quem & Hebræos extat hoc axioma, *Non esse prius & posterius in Scriptura sacra.* Deinde si priùs librorum Salomonis meminit historia, ideò fit quia ibidem laudatur eius sapientia. Denique, Iesuitici gregis Arietem arietat ipsiusmet gregalis Pineda sic scribens: Libri sanè aut scripta aliqua Salomonis nunquam recensentur in Scriptura; tantùm disputationes & doctrina. 3. Reg. 4. cùm autem ad finem Ecclesiastæ dicitur conscripsisse sermones rectissimos, & veritate plenos, iam non solùm perditè amauerat, sed turpium quoque suorum amorum meminerat in eodem libro, quum dixit, *Fœminam morte amariorem*, & quũ ex omnibus mille fœminis, quas in suam consuetudinem allexerat, profitetur nullam inuenisse cui tutò se committere potuisset: imò & idololatriæ quoque impietatem non obscurè detestatur, tum primis illis verbis, *Vanitas vanitatum*, tum vltimis, *Deum ti-*

De gratia primi hominis. c. 11.
De verbo Dei l. 3. c. 1.
De Euchar. l. 1. c. 11.
De doctrin. Christ. l. 3 c. 36.
Præfat. comment. in Eccles. c. 3.

« me, & mandata eius obserua. Quippe ex frequenti sa-
« cri sermonis vsu, *Vanitas* ad idolorum superstitio-
« nem; *Timor Dei* ad veræ Religionis cultum refer-
« tur.

Non secunda: nam Ecclesiastes non est scriptus à Salomone, quum in deprauationibus versaretur, sed quum iterum saperet donatus à Deo resipiscentiâ. Versio autem vulgata 1 Reg. 11. 4. *Cùm iam esset senex*, vitiosa est: verti enim oportet, *Cùm iam senescceret*, hoc est, cùm inciperet eius senium. Atqui hunc librum scripsit in extremo senio, à regressu suo in Ecclesiam. Præterea, non dicit Salomon sapientiam secum mansisse donec scriberet Ecclesiasten, *Sed enumerans omnem illam Regiæ opulentiæ, quâ circumfluebat, copiam, hoc insuper beneficium sibi obtigisse commemorat, vt sapientia secum perseueraret*, inquit acerrimus Bellarminianarũ disputationũ assertor Gretserus: vel, vt volunt Arminiani, dicit Salomon, *Se, præter quàm quòd honoribus & opibus auctus esset, sapientem etiam fuisse.* Adhæc, duplex in Salomone fuit sapientia, diuina nimirum & naturalis, quamuis insula. Hæc posterior perseuerare potuit in eo, licèt mulieroso adhuc & idololatrâ: cùm eiusmodi dona, si non praxi & vsu morali, at contemplatione & iudicio speculatiuo, in flagitiosis ethnicis fuisse certum sit. Postremò, hic ipse locus nostram adeò non euertit, vt potiùs asserat sententiam: *Hinc enim*, ait Lorinus, *exaggeratur Salomonis peccatum, & in eius confessione pœnitentia magis declaratur, quòd sciens ac prudens peccauerit, & adeò insignem sapientiam ad eius authoris offensam conuerterit, idq; cognoscat & præ se ferat.*

Defens. c. 5 l. 1. de verbo Dei. Cont. Synod. Dord defens. artic. 5. pag. 265.

Comment. in Eccles. 2. 9.

Non

Non tertia: nam primò Lyranus ipse per *delicias filiorum hominum*, arbitratur tam multas vxores illas & concubinas intelligi, quas habuit Salomon. Deinde, vt demus Salomonem non meminisse amorum suorum capite secundo: tamen capite 7. v. 26. eorum mentionem facit, vbi *de adultera, & domum suam intra ciuitatis mœnia habente, & minimè vulgari aperte loquitur*, inquit Pineda. Pin. in locum.

Non postrema: non enim dicimus Salomonem hunc librum scripsisse quum seruiebat turpibus amoribus & dijs alienis, sed postquam eos abiecisset. Neque verò incredibile est animum mollem ac effœminatum, per resipiscentiæ gratiam, masculum suum robur, ac pristinum vigorem recuperare potuisse. Quid enim? Annon spiritus fortitudinis ac roboris redijt ad Samsonem postquam aliquandiu ab eo recessisset? Nonne Gregorius Magnus, Romanorum Pontificum celeberrimus, alicubi scribit, *In Sanctorum cordibus secundùm quasdam virtutes semper manere Spiritum, secundum quasdam recessurum venire, & venturum recedere?* Super Ezechiel. hom 5.

Quintum argumentum Bachiarius, Augustini σύγχρονος Theologus, & post eum Serarius, deprompit ex 1. Reg. 11. 43. & 2. Chron. 9. 31. vnde colligit Salomonem resipiscentiam & veniam consecutum esse, *Quia cùm solutus fuisset à corpore, sepultum illum inter Regum Israëlitarum corpora Scriptura commemorat; quod tamen alibi denegatum tradit ijs Regibus, qui vsque ad finem vitæ suæ in proposiri peruersitate manserunt:* vt Ioram, Ioæ, & Achazi planum fit exemplis. Epist. ad Ianuarium de recipiendis lapsis, ad calcem tom. 5. bibliothecæ Patrum, editione 3. Ser. in 1. Reg. 11. 2. Chron. 21. 20 & 24. 25. & 28. 27.

Sexti argumenti sedes est 2. Paralip. 11. 17. vbi

Salomon post mortem laudatur vnà cum Dauide patre suo in filio Roboamo: sub quo populus dicitur *triennium ambulasse in via Dauidis & Salomonis.* Vnde piè colligimus Salomonem, non minùs quàm Dauidem, ex lapsu ad Deum redijsse, licèt huius resipiscentiam expressè legamus in Scripturis; illius autem non nisi per consequentias. Neque verò illustris hic locus eludi potest eorum cauillo, qui aiunt illud elogium coarctandum ad id solum tempus, quo se nondum corruperat Salomon. Nam *si iustus se* (totaliter & finaliter) *auerterit à iustitia sua, omnia iusta facta eius non commemorabuntur.* Siquidem finis coronat opus, exitus acta probat, nec Deo victima sine cauda placet. *Non enim cæpisse, sed perfeciisse virtutis est*, vt rectè Hieronymus. *Qui omnia rectè fecit, & in fine deficit, is frustra operatus est*, ait Syluius. *Tolle perseuerantiam*, inquit Bernardus, *nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo.*

Ezech. 18. 24.

Leuit. 3. 9.

Hieron. in Matth 10 22.

Aeneas Syluius, aliàs Pius secundus, Epist. 77.

Bern. epist. 129.

Septimum argumentum ex his Noui Testamenti testimonijs contexitur, Luc. 13. 28. Act. 3. 21. 2. Pet. 1. 21. & 3. 2. vbi omnes Prophetæ in Cœlo esse, dicuntur, & Sancti vocantur. Salomon igitur est Sanctus, & in cœlo, siquidem est Propheta.

Hîc autem per Prophetas non intelliguntur omnes, quibus cœlitus datum est verbum diuinum ore prædicare, vel futura certò prædicere. Quandoquidem hoc sensu prophetia est donum commune reprobis & electis, datum semper ad communem Ecclesiæ ædificationem, non semper ad propriam eorum quibus datur salutē: estque, vt loquuntur Scholastici, gratia gratis data, non perpetuò coniuncta cum

Prophetia potest esse sine bonitate morum, & sine charitate Thom. 2. 2. q. 172. art. 4

cum gratia gratum facientе, siue salutari fidei & charitatis habitu. Quamuis enim mysteria sua amicis suis reuelet Dominus (Ioan. 15. 15:) tamen vt non omnia omnibus reuelat, ita nec omnes quibus aliqua reuelat, amici eius sunt propriè dicti: prout tum Christi verba (Matth. 7. 23.) tum Balaami, Saulis, Caiaphæ ac Iudæ proditoris exempla demonstrant. Sed Prophetarum nomenclaturam locis prænotatis ad eos restringi necesse est, qui singularia Dei organa ad verbum eius exarandum fuerunt, quique doctrinam diuinam manu sua perscriptam, ac literarum monumentis consignatam afflatu Spiritus sancti reliquerunt. Tametsi enim quidam θεοπνεύστως locuti sunt, qui reprobi fuerunt: tamen vllum vnquam θεοπνεύστως scripsisse qui non sit inter electos, probari non potest.

Sed neque nomine Sanctorum (quorum pedes seruantur à Domino, & obitus habetur pretiosus) hîc intelligendi veniunt æquiuocè, apparenter, & in speciem duntaxat sanctificati; puta respectu vocationis externæ, professionis fidei, agnitionis doctrinæ, & perceptionis sacramentorum (nam hoc sensu etiam hypocritæ quidam ac reprobi quandoque dicuntur Sancti:) sed ij demum intelliguntur, qui tam in corde quàm in fronte Spiritu sancto promissionis obsignati sunt, id est, veræ & vniuocæ sanctificationis participes: quæ non solùm mentis illuminatione, sed etiam cordis per fidem purificatione, omniumque affectuum renouatione constat, quæque *secunda natiuitas* à Christo, *Creatio noui hominis* à Paulo; *Fuga corruptionis quæ est in mundo per cupiditatem*, à Petro; *Prima resurrectio* à Ioanne definitur:

1. Sam. 2. 9 Psal. 116, 15.

Ephes. 1. 13. Apoc. 7. 3.

Ioan. 3. 3. Ephes. 4. 24. 2. Pet. 1. 4. Apoc. 20. 6.

nitur: in qua qui partem habent, in eos mors secunda non habet potestatem, sed à morte ad vitam translati, id est, certissimè transferendi sunt. Illis enim, vt Agagi verbis vtar, *Amaritudo mortis prætereijt. Illis dies iste, quem alij tanquam extremum reformidant, æterni natalis est.*

Ioan. 5. 24. 1. Ioan. 3. 14. 1. Sam. 15. 32. Senec. epist. 102.

Hoc argumentum à sanctitate Salomonis ductum exufflare non potest Bellarminus, nisi, quod ei solenne est, sua ipsius vineta cædere, propriamque nauem perforare censeri velit. Siquidem alicubi remotis fucis strophisque sophisticis perspicuè pronunciat, hæreticos *hoc ipso quòd defecerunt, satis ostendere, se veram fidem & religionem nunquam habuisse.* Quin & veris veræ Ecclesiæ notis annumerat *Sanctitatem vitæ authorum, siue primorum Patrum Religionis*, probatque solam Ecclesiam Christianam esse veram & Orthodoxam, quia primarij eius Magistri, Prophetæ videlicet & Apostoli, probitate morum, & omnimodâ sanctimoniâ fuerunt insignes. Quod certè debile fuerit ac fallax fundamentum, si tam eximius Ecclesiæ Pater ac Præceptor vel veram fidem, sine quâ nulla vera pietas aut sanctitas, nunquam verè habuisse, vel semel datam penitus amisisse, tandemque in sempiternum exitium ruisse statuatur.

Hunc locum, qui habetur in eius concione de puritate Catholicæ doctrinæ, confer cum tertia ratione quam adfert de iustific. l. 3. c. 14. De notis Ecclesiæ, c. 13 & concione de probitate Doctorum Ecclesiæ, & hæreticorum sceleribus.

Post Oracula diuina, nihil est ad quoduis Theologicum problema demonstrandum ratione validius. Hæc autem dictat improbabilissimum esse, Tartareis flammis cruciari eum, qui proprius, specialis, extraordinarius, & soli Melchisedeco secundus fuit typus Christi (nam à communibus, generalibus, & ordinarijs typis argumentum non procedere

Typus proprius singularis, & destinatus, qualis fuit Salomon respectu Christi, demonstrationis idonea est materia. Talem, contra Bellarm. de Pontif. Rom. l. 3. c. 16. nota 4.

dere concedimus, cùm constet non omnes Reges, Sacerdotes, ac Prophetas, qui Messiam adumbrauerunt, salutem æternam consecutos esse.) Salomonem verò talem Christi typum extitisse, docet hic epitomicus vtriusque paralleliſmus. Ambo igitur & soli ex omnibus Dauidis posteris Regio simul & Prophetico munere fuerunt instructi; ambo extraordinariâ sapientiâ & dicendi facultate prædití, ambo maximè pacifici; ambo gentilem sponsam sibi assumserunt, & in Palatium suum adduxerunt, ambo domum Deo ædificarunt: alter videlicet χειροποίητον, opib° à patre relictis; alter ἀχειροποίητον, corpore sibi à patre aptato. Amplitudo Regni Salomonis porrecta est ad fines vsque carnalis Israëlis: amplitudo Regni Christi extenditur ad terminos spiritualis Israëlis, id est, in omnes fines terræ. Salomon Reges omnes superauit caducis: Christus Rex Regum, & Dominus Dominantium, nunquam interituris diuitijs. Salomon extruxit materiale Templum ex lapidibus per operas manuum hominum: Christus ædificauit spirituale Templum ex viuis lapidibus, per prædicationem suorum seruorum. Salomon orauit in Templo pro suis subditis: Christus orauit in terra, semperque intercedit in Cœlo pro suis electis. Salomon multis holocaustis sanctificauit domum suam: Christus vnicâ corporis sui oblatione consecrauit in perpetuum eos qui sanctificantur.

Neque Rex impius in figuram poteſt præcedere illius, qui totius pietatis exemplum eſt: vt ſcribit Hieron. ſuper Ezechiel. 12. contra eos qui volebant Sedechiam fuiſſe typum Chriſti.

Denique, benignior sententia fulcitur authoritate complurium Doctorum, quos ordinis ergò in quatuor classes distribuemus.

In prima locantur Iudæi, qui Salomonem resipuisse,

puisse, extremisque vitæ suæ temporibus Ecclesiasten, quasi vanitatis suæ censorem, ac pœnitentiæ testem reliquisse, summo consensu docent; ipso referente nec refellente Hieronymo, quod tamen facere solet sicubi eorum sententia ipsi non arridet. Nec obstat quod Iosephus de Salomone scribit, *Deterior factus antè obitum, & à patrijs moribus desciscens, indignum ante gestis rebus vitæ exitum habuit.* Vbi non loquitur de æterna iustorum gloria, sed de temporali & mundana: fœdam enim gloriæ partæ maculam inussit Salomon suis corporalibus & spiritualibus impudicitijs. De finali verò impœnitentia huius Regis, altum in eodem scriptore silentium. Nec verisimile est à communi Hebræorum sententiâ dissensisse Iosephum, patriarum traditionum tenacissimum.

Hieron. in 1. cap. Eccles.

Antiq. Iudaic. l. 8. c. 2.

In secunda sunt Patres Græci & Latini, Irenæus, Gregorius Neocæsariensis, Cyrillus Hierosolymitanus, Hilarius, Hieronymus, Ambrosius. Gregorius enim dicit, *Magnâ se admiratione prosequi Salomonem, qui cùm præceps ferretur, temerè & vagaretur, postea à mente receptâ ad virtutem officiumq; rediit.* Cyrillus hortatur ad pœnitentiam Salomonis exemplo, sicut & Aaronis, Dauidis, Ezechiæ, Manassæ & Petri. Hieronymus non solùm refert Hebræorum de Salomone iudicium, sed etiam approbat, eundemque vocat *Optimum Regem* vnà cum Dauide, Iosua, Prophetis & Patriarchis, qui typum Christi gesserunt; & malis opponit. Ambrosius denique quatuor mihimùm locis *Sanctum* vocat Salomonem, etiam quum de peccatis eius agit; ne quis cum Abulensi excipiat istud epitheton ad illud solum

Iren. l. 4. c. 45. Greg. metaphras. c. 2. Cyr. catech. 2. Hil. in Psal. 52.

Hieron. in c. 43. Ezech.

Ibid. c. 28.

Ambr. in Psal. 118. lit. 2. v. 1. lib. de fide & resurrect. præfat. in Luc. & apol. 1. pro Dauide, c. 3.

lum tempus restringendum, quo sacros libros scripsit, quodve lapsum eius præcesserit. Quin & alibi Salomonem comparans cum Dauide & Paulo, ac medium locans inter eos: *Ergo*, inquit, *si errauerunt iusti, errauerunt tanquam homines, sed peccatum suum tanquam iusti agnouerunt.* *Apolog. 2. pro Dauide. c. 3.*

Tertiam classem obtinent Pontificij veteres ac noui, Aquinas, Bonauentura, Hugo Cardinalis, Petrus Comestor, Paulus Burgensis, Carthusianus, Soto Maior, Damianus, Genebrardus, & cum his quatuor celebres Iesuitæ, Pineda, Serarius, Delrius, Lorinus, cuius hæc sunt verba: *Benignior mihi pars, vel hoc nomine quia benignior, magis placet, tam multis fulta Doctorum suffragijs, qui rem etiam ex instituto perpendunt, ac probant: quod qui pro contrariâ referuntur sententiâ non faciunt.* Atque ex hac controuersia, vt & ex alijs non paucis, liquidò apparet à laboriosissimo, & de Ecclesia Dei optimè merito Theologo verissimè dictum, *Familiare esse Bellarmino, quum diuersæ discrepantesq; sunt suorum sodalium sententiæ, pessimam amplecti.* *Citantur a Lorino præfat. in Eccles. c. 2. & a Pineda in prænio Salomone lib. 8. Pin. præfat. in Eccles. Serar. com. in 1. Reg. 11. Delr. Isagoge in Cantic. Lorin. vbi supra. D. Vilet. tetrastylon Papismi parte 1. num. 34.*

Quartam occupant Protestantes Theologi: inter quos multi doctissimi cùm defuncti tum superstites, ac præsertim ij qui de Scriptura & iustificatione Controuersias aduersus Bellarminum excusserunt, hanc mitiorem sententiam apertè tuentur. a Iunius, b Perkinsus, c Polanus, d Pareus, e Cartwrightus, f Wilettus, g Downamus, h Piscator, i Tilenus, k Capellus, l Molinæus, m Scharpius, n Hallus, & *a Anima duers. in Bellar. de verbo Dei, l. 1. c. 5. b De nat. pœnit. c. 11 & in Heb. 11. 7.*

c Syntag. Theol. l. 1. c. 32. & l. 6. c. 43. d Vbi Iunius & ad cap. 14. l. 3. de iustific. e Præfat. in Eccles. f Initio Synopsis Papismi. g Christ. militia, tomo 1. l. 3 c. 20. h Præfat. in Eccles. i Vbi Iunius. k Ad annum mundi 3017. l Clypeo Fidei, l. 1. sect. 48. m De iustif. controu. 5. n Contemplat. vol. 6. lib. 17.

o In Diatrib. Thom. c. 5.

Reuerendus nuper o Episcopus Sarisburiensis: quorum omnium super hac quæstione hæc est sententia: *Salomon in lapsu gradum fidei remisit, actum intermisit, habitum non amisit; motumq. fuit in eo spiritualis vitæ robur, non amotum; concussum, non excussum:* vt etiam p Tertullianus loquitur de Petro.

p De fuga in persecut.

Iudicioſissimum illud non modò priuatorum aliquot Theologorum, veràm etiam totius Venerandæ Synodi Dordracenæ iudicium non euertitur aut læditur isto tunc Arminiani, nunc Apostatæ Bertij argumento:

De apost. S. l. 1. pag 45.

« Quod augeri potest, potest idem quoque perfici:
« & quod minui potest, potest aboleri & abire in ni-
« hilum, Heb. 8.13.
« Atqui fides minui potest, & decrescere.
« Potest igitur (nisi tempestiuè quis in viam rede-
« at) annihilari.

Nam vt ossa Christi in se quidem suâque naturâ frangibilia erant, ratione tamen decreti diuini, quod stare necesse est, frangi non potcrant: ita verè fideles respectu suæ infirmitatis, & potentiæ maliciæque suorum hostium, à gratia Dei prorsus excidere, penitusque fidem amittere possunt. At respectu immortalis illius seminis, sermonis insiti, vnctionis manentis, fontis aquæ in vitam æternam salientis, id est, Spiritus inhabitantis, qui omnibus credentibus datur, atque etiam respectu diuinæ custodiæ ac directionis, omnino non possunt. *Custodiuntur enim virtute Dei per fidem ad salutem.* Sicut autem custo-

Esa. 14. 24. & 46. 10.

1. Pet. 1. 23. Iacob. 1. 21. 1. Ioan. 2. 27. Ioan. 4. 14. 1. Cor. 3. 16. Ioan. 7. 39. 1. Pet. 1. 5.

Hic applicari potest illud Platonis in Timæo ante medium, vbi introducit Magnum Deum se minores Deos alloquentem: Quoniam orti estis, immortales quidem & indissolubiles esse non potestis; neutiquam tamen dissoluemini; neque vos vlla mortis fata periment. Nec fraus valentior quàm consilium meum: quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram, quàm illa quibus, quum gignebamini, estis colligati.

diri

diri non potuit Noachus per arcam, nisi arca custodita fuisset, & ipse in arca: sic nec homo per fidem, nisi fides custodiatur, & homo in fide. Quamobrem rectè Tertullianus: *Fides electorum in tentatione victrix est, quia Filius eam protegit.* Nec minùs solidè quàm scitè magni, qui Synodo interfuerunt, Magnæ Britanniæ Theologi: *Perseuerantiam fidelium in fide non arcessimus ab eorum libero arbitrio, sed ab eorum liberatore Christo.* *Tertul. vbi supra*

A superioribus argumentis sepono, atque aliâ in classe repono sequentes reuelationes: quarum vtriusque meminit Lorinus; prioris, licèt in alio argumento, etiam Bellarminus. *Lor. præfat. in Eccles. c. 2. Bellar. de purgat. l. 2. c. 8.*

Igitur memoriæ proditum est sanctam Melchtildem, aut Mathildam, quæ circa annum Domini 1300 floruisse fertur, diu multùmque Deum interpellantem, vt sciret quid factum esset animabus Samsonis, Salomonis, Origenis & Traiani, hoc responsum* relisse. *Nolo vt cuiuis innotescat benignitas mea erga Samsonem, ne quis huius exemplo inimicos vlciscatur: nolo vt misericordia mea in Salomonem appareat, ne ad libidinem latior pateat aditus: nolo vt liberalitas mea erga Origenem manifestetur, ne alijs per doctrinam summam falsa salutis opinio propinetur: nolo vt mansuetudo mea erga Traianum patefiat, ne alij ad eius exemplum baptismum auersentur.* Sed & in manuscripto Vaticano Amodæi, Franciscani cuiusdam Monachi, legitur ipsum ab Angelo super eadem quæstione, idem responsum accepisse: cur verò post obitum Salomonis perduraſſent idola, causam Angelum reiecisse in vxores, quæ quod fieri Salomon testamento diligenter præceperat, omni ope

* pro responsum

& operâ impediuerint.

Id genus argumentis eos nonnihil moueri par est, qui [a] Gallæ, [b] Brigittæ, [c] Catharinæ Senensis, Christinæ mirabilis, & consimilium Sanctarum reuelationibus, visionibus, miraculis sua placita fulcire conantur.

[a] Bellar. de iustif. l. 3. c. 8.
[b] De statu peccati, l. 4. c. 15.
[c] Concione de donis prophetiæ.

Allatis hactenus affirmantium & negantium authoritatibus; non absre, opinor, fuerit, antequàm manum de tabula tollam, dubitantium, & in neutram partem inclinantium cùm veterum, tum recentiorum Theologorum nomina recensere. Horum igitur è numero sunt inter Patres non postremi Tertullianus & Cyprianus, à quibus hanc litem in medio tandem fuisse relictam annotat Pamelius. Inter Pontificios, Hugo de Sancto Victore, Hostiensis, Panormitanus, Pamelius, Feuardentius, Iansenius, Barradius, Torniellus, nec non Petrus Tenorius Archiepiscopus Toletanus, qui perpensis vtriusque partis firmamentis curauit in sacello suo pingi paradisum & infernum: Salomonis autem partem alteram intra illum, alteram intra hunc locari. Protestantium verò qui celebrem hanc quæstionem attigerunt, neminem ἐπέχοντα videre mihi contigit, præter nobile illud, & pietate ac doctrinâ pari librâ ornatum Italorum Theologorum par: de quo hîc vsurpari potest illud de Diomede maximi poëtarum,

Pamel. annot. in Tert. cont. Marc. l. 2. c. 23.
Torniel. in Annal. ad annum Mundi 3059.
reliqui citantur a Iorino et Pineda vbi supra.

Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη,
Ἠὲ μετὰ Τρωεσσιν ὁμιλέοι ἠ μετ' Αχαιοῖς.

Zanch. miscell. tract. de perseuer. S. c. 2.
Pet. Martyr. in 1. Reg. 11.
Iliad. 5. v. 85.

FINIS.

Auolent quantum volent paleæ leuis fidei quocunque afflatu tentationum, eo purior massa frumenti in horrea Domini reponetur. *Tertul de præscript. adu. hæret c.3.*

Credere verè est credere quomodo credendum est, inconcussè, firmè, stabiliter, fortiter. *Augustin Euan. Ioan. tract. 106.*

Verus amor constantiá probatur. *Ambros. epist. 40*

Quos amor verus tenuit, tenebit. *Sen. in Thyeste actu 3.*

Qui cecidit, stabili non erat ille gradu. *Boethius initio.*

Stella cadens non est stella, Cometa fuit.